ceſſioni, beati Apoſtolorum Principis Petri, ex omnibus fini- A bus terræ properantium, ſeſe quotidie conferunt, & uſque in finem vitæ ſuæ apud ejus limina ſemet manſura proponunt, ut præter illud, quod vas è cœlo ſubmiſſum, in quo cunctorum oſtenſa ſunt eidem beato Petro horum omnium rectori animantium genera, Catholicam ſignat Eccleſiam, etiam ipſa ſola Romanorum urbs, apud quam ejuſdem Apoſtoli corporalis præſentia ſedulò veneratur, ipſius vaſis cunctas dignoſcatur in ſe continere univerſorum animalium (quæ homines intelliguntur ſpiritaliter) nationes. Hæc Nicolaus de multitudine Romam confluentium.

Frequentiſſimam fuiſſe hanc peregrinationem, ne ipſi quidem adverſarii diffitentur: Quis enim tam obſcurus Chriſtiani orbis eſt angulus, qui non aliquem incolam ad limina Apoſtolorum Romam miſerit? Etſi gens Anglorum cæteris palmam præripuiſſe videtur, quæ non tantum gregarios, ut ſic dicam, peregrinos, eoſque innumerabiles; ſed etiam regio honore inſignitos Apoſtolorum ſepulchris ſtitit, ac obtulit; ut poſteà dicemus. Anglorum certè tantus ardor erat eundi Ro- B mam, ut ne infeſtis, quidem à Saracenis itineribus abſterrerentur; tametſi non raro non pauci ab iiſdem aut caperentur, aut trucidarentur, Anno Domini DCCCXXI. Anglorum Romam proficiſcentium plurimi inter anguſtias Alpium, lapidibus à Saracenis obruti ſunt, inquit *Frodoard. in Chronico. Beda de ſex ætatibus in Theodoſio*: His temporibus multi Anglorum gentis nobiles, & ignobiles, viri, & fœminæ, duces, & privati, divini amoris inſtinctu de Britannia Romam venire conſueverant, inter quos etiam reverendiſſimus Abbas meus anno natus 74. &c.

Quanquam autem magnus concurſus ad limina Apoſtolorum perpetuò fieret; nunquam tamen major erat, quàm anno Jubilæi, de quo Loco de Jubilæo, ipſoque Apoſtolorum Natali, quo innumerabilis multitudo Romam confluere ſolebat, ut colligitur *ex epiſtola Gallæ Placidiæ Auguſtæ ad Pulcheriam Auguſtam*, ubi ſui in urbem ad limina Apoſtolorum adventus cauſam reddit: Ut Romam frequentibus concurſionibus adæquè deſideremus inſpicere, cauſa eſt nobis amplectendæ religionis, ut terminis ſanctorum noſtram exhiberemus præſentiam: quos certum eſt, pro ſua virtute in cœleſtibus conſtitutos, neque inferiora deſpicere. Nos C itaque ſacrilegium eſſe credimus, ſi ſolemnem ordinem denegemus.

Epiſcopos etiam ad eandem ſolemnitatem Romam conceſſiſſe ex S. Paulino planum fit, qui & ipſe veteri more, eò profectus eſt: aitque, ſe tempus ante meridiem in votis ſuis, quorum cauſa venerat, per Apoſtolorum, & Martyrum factas memorias conſumpſiſſe. Extant decreta Anacleti, & Zachariæ Pontificum, quæ præcipiunt, ut omnes Epiſcopi, Romanæ urbi propinqui, quotannis ſemel Apoſtolorum limina adeant. Juxta SS. Patrum, & Canonum inſtituta, omnes Epiſcopi, qui hujus Apoſtolicæ ſedis ordinationi ſubjacent; qui propinqui ſunt, annuè circa idus Maii ſanctorum Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli luminibus præſententur, omni occaſione ſepoſita. Qui verò de longinquo, juxta chirographum ſuum impleant. Qui autem hujus conſtitutionis contemptor extiterit, præterquam, ſi ægritudine fuerit detentus, ſciat ſe Canonicis ſubjacere ſententiis. Ad eundem Apoſtolorum Natalem quotannis ſeſe conferebat Taſſius Epiſcopus Narnienſis; de quo *S. Gregorius, & Martyrologium Rom. 29. Junii*.

D Epiſcopi Siciliæ tertio quoque anno Romam ibant: quod ſpatium poſteà à S. Gregorio ad quinquennium eſt prolatum, ut patet ex epiſtola ejus ad Cyprianum Diaconum: Et quia jam diu eſt, inquit, quod huc minimè convenerunt, eos hortari te volumus, ut Natalem ſancti Petri hic, Deo perducente, nobiſcum debeant celebrare. Idem ſanctus Pontifex ſcribens ad Barbaram, & Antoniam, his verbis eaſdem ad peregrinationem Romanam invitat. Quòd ad beati Petri Apoſtolorum Principis limina feſtinare vos dicitis, opto nimis, & æſtuantis animi deſiderio, ut dignis meritis junctas vos in ejus Eccleſia videam: quatenus & vos de me ſolamen aliquantulum, & ego de veſtri præſentia non parvam lætitiam acquiram.

Quid verò tam his ad Limina Apoſtolorum peregrinis, quàm aliis præſtandum ſit, exemplo ſuo docuit Agnes Imperatrix, & ſcripto *Petrus Damianus*, dum id, quod Romę Agnes geſſit, literis conſignatum, ad poſteritatem tranſmiſit. Ut hi, inquit, qui ad Apoſtolorum limina confluunt, ſanctæ devotionis tuæ ſalubriter imitentur exemplum, ſub arcana quoque B. Petri Confeſſione ante ſacrum altare me ſedere feciſti; ac per lugubres gemitus, & amara ſuſpiria, ab ipſa quinquenni infantia, tenera adhuc, & nuper ablactata cœpiſti, & tanquam illic ipſe B. Apoſtolus corporaliter præſideret, quidquid ſubti- E le, vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare viſceribus; quidquid in cogitationibus vanum, quidquid prætereà ſubrepere potuit in ſermone ſuperfluum, fidelibus eſt relationibus evolutum. Ad quod mihi viſum eſt, ut nullum aliud pœnitentiæ pondus injungerem, quàm ut illud divinæ legationis elogium iterarem. Age, quod agis, operare, quod operaris. Vel illud, quod iis, qui Thyatiræ erant, per Angelum mittitur, Non mittam ſuper vos aliud pondus: tantùm id, quod habetis, tenere. Nam Deo teſte, ne unum quidem diem jejunii, vel cujuslibet afflictionis indidi? ſed, ut in cœptis ſolummodò ſanctis perſeverares operibus imperavit. Et utinam, à quibuſdam homicidis, vel diverſorum criminum reis illi gemitus, illi fletus in confeſſione prorumperent: ſic tabeſcentis, ac acerrimo dolore transfixæ mentis ſpiritus fremeret; ſic malè ſibi conſcia pectora ſingultirent, ſicut illic plangebantur, vel inanium phantaſmata cogitationum, vel quarumlibet puerilium ineptia levitatum. Hoc provocentur exemplo, qui ad veneranda ſanctorum corpora pia devotione feſtinant. Illic ita- F que proprii reatus morbos, quaſi noxios humores evomant, quibus per conatus puræ confeſſionis egeſtis, pœnitentiæ ſalutaris antidotum ſumat. Illic baptiſmum pœnitentiæ ſtatuant, in quem per judicium officii ſacerdotalis immerſis, vetuſti hominis indumenta reponant, jamque de veteribus novi vivant.

Imperatores, Reges, & Principes Romam ad Apoſtolorum limina profecti.

Agmen ducat Carolus Magnus, de quo hæc *ex Eginardo* Centuriatores: Carolus Magnus intra annos quadraginta ſeptem, quater Romam ad vota perſolvenda, & orandum profectus eſt.

Verùm audiamus *Anaſtaſium Bibliothecarium*, & fuſius, & accuratius hanc pietatem nobis depingentem, ac primum Caroli in Urbem adventum Anno Chriſti 774. Dum per ſex menſium ſpatium Carolus Magnus apud Papiam demoraretur in obſidione ipſius civitatis: magnum deſiderium habens ad Limina Apoſtolorum properandi, conſiderans quòd & ſacratiſſimum Paſcha appropinquaſſet: tum tollens ſecum diverſos Epiſcopos, Abbates etiam, & Judices, Duces, & Graphiones, cum pluribus exercitibus huc Romam per partes G Tuſciæ properavit; ita feſtinans, & adveniens, ut in ipſo Sabbatho ſancto ſe Liminibus præſentaret Apoſtolicis. Cujus adventum audiens antedictus beatiſſimus Hadrianus Papa, quod ſic repentè ipſe Francorum advenerit Rex, in magnum ſtuporem, & extaſim deductus, duxerit in ejus occurſum univerſos Judices, ad ferè triginta milliaria ab hac Romana Urbe, in locum, qui vocatur Novas, ubi eum cum bandoris (*ſive blandis, hodie bandera dicta, militari ſigno*) ſuſceperunt. Et dum appropinquaret uno ferè milliario à Romana urbe, direxit univerſas ſcholas militiæ, unà cum patronis, ſimulque & pueris, qui ad diſcendas literas pergebant, portantes omnes ramos olivarum, laudeſque omnes canentes, cum acclamatione earundem laudum vocibus ipſum Francorum ſuſceperunt regem; obviàm illi ejus ſanctitas dirigens venerandas Cruces, id eſt, ſigna (ſicut mos eſt) Exarchorum, aut Patriciorum Romanorum.

Qua hora eaſdem ſanctiſſimas Cruces, ac ſigna ſibi obviàm veniſſe conſpexit, deſcendens de equo, in quo ſede- H bat, ita cum ſuis Judicibus ad beatum Petrum pedeſtris properare ſtuduit. Cum quidem almificus Pontifex diluculo ſurgens in eodem Sabbatho ſancto, cum univerſo clero, & populo Romano ad B. Petrum properavit, ad ſuſcipiendum eundem Francorum Regem, & in gradibus ipſius Apoſtolicæ aulæ eum cum clero ſuo præſtolatus eſt. Conjungente verò eodem excellentiſſimo, ac benigniſſimo Carolo rege, omnes gradus ſigillatim ejuſdem ſanctiſſimæ beati Petri Eccleſiæ deoſculatus eſt: & ita ad prænominatum pervenit Pontificem, ubi in atrio ſuper gradus juxta fores Eccleſiæ aſſiſtebat. Eoque ſuſcepto, mutuoque ſe amplectentibus, tenuit idem Chriſtianiſſimus Carolus Rex dexteram manum antedicti Pontificis, & ita in eandem venerabilem aulam beati Petri Principis Apoſtolorum ingreſſi ſunt, laudem Deo, & ejus excellentiæ decantantes, univerſus clerus, & cuncti religioſi Dei famuli extenſa voce acclamantes: Benedictus, qui venit in nomine Domini, &c. Sicque cum eodem Pontifice ipſe Francorum Rex, ſimulque omnes Epiſcopi, Abbates, & Judices, & univerſi Franci, qui cum eo advenerant, ad Confeſſionem B. Petri appropinquantes, ſeſeque proni ibidem proſternentes, Domino noſtro omnipotenti, & eidem Apoſtolorum Principi

Principi propria reddidere vota, glorificantes divinam po- A tentiam in eo, quòd talem eis, per interventionum ſuffragia ejuſdem Principis Apoſtolorum concedere juſſit victoriam, &c.

De Ceadualla Rege occidentalium Saxonum hæc venerabilis *Beda*: Anno regni Aldfridi tertio, Ceadualla rex occidentalium Saxonum cùm genti ſuæ duobus annis ſtrenuiſſimè præeſſet, relicto Imperio propter Dominum, regnumque perpetuum, venit Romam: hoc ſibi gloriæ ſingularis deſiderans adipiſci, ut ad limina beatorum Apoſtolorum fonte baptiſmatis ablueretur, in quo ſolo didicerat generi humano patere vitæ cæleſtis introitum: ſimul etiam ſperans, quia mox baptizatus, carne ſolutus ad æterna gaudia jam mundus tranſiret. Quod utrumque, ut mente diſpoſuerat, Domino adjuvante, completum eſt. Etenim illò perveniens Pontificatum agente Sergio, baptizatus eſt die ſancto Sabbathi Paſchalis, āno ab incarnatione Domini 689. & in albis adhuc poſitus, languore correptus 12. Kalend. Majarum die ſolutus eſt à carne, & beatorum eſt conſortio ſociatus in cælis. Cui etiam tempore baptiſmatis Papa memoratus Petri nomen impoſuerat, ut beatiſſimi Apoſtolorum Principis (ad cujus ſacratiſſimum B corpus per longa locorum intervalla pio ductus amore venerat) etiam ſanctiſſimum nomen referret, qui in ejus quoque Eccleſia ſepultus eſt. Et jubente Pontifice, epitaphium in ejus monumento ſcriptum eſt, ut & memoria devotionis ipſius fixa per ſæcula maneret, & legentes quoque, vel audientes exemplum facti ad ſtudium religionis accenderet. Scriptum eſt ergo, hoc modò:

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuvias, proceres, mœnia, caſtra, lares;
Quæque patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe,
Ceadual armipotens liquit amore Dei.
Ut Petrum, ſedemque Petri rex cerneret hoſpes,
Cujus fonte meras ſumeret almus aquas:
Splendificumque jubar radianti carperet hauſtu,
Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Percipienſque alacer redivivæ præmia vitæ,
Barbaricam rabiem, nomen & inde ſuum,
Converſus convertit ovans, Petrumque vocari
Sergius antiſtes juſſit ut ipſe pater.
Fonte renaſcentis, quem Chriſti gratia purgans,
Protinus ablatum vexit in arce poli.
C *Mira fides regis, clementia maxima Chriſti,*
Cujus conſilium nullus adire poteſt.
Soſpes enim veniens ſupremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perque vias.
Urbem Romuleam vidit, templumque verendum,
Aſpexit Petri myſtica dona gerens.
Candidus inter oves Chriſti ſociabilis ibit;
Corpore nam tumulum, mente ſuperna tenet.
Commutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas,
Quem regnum Chriſti promeruiſſe vides.

Eadem de eodem Rege litterarum monumentis conſignavit Paulus Diaconus, qui addit à Cuniberto Longobardorum Rege mirificè, & munificè exceptum eſſe.

De eodem Rege, & alio, cui nomen Offa, eadem pietatis flamma ſuccenſo, hæc *Marcellinus in vita S. Suviberti*. Quidam ad viſitanda loca Sanctorum peregrinati ſunt, ut Cedauvalla præpotens Rex Angliæ, & Offa rex Cantuariorum, qui anno ab incarnat. Domini 689. Romam proficiſcentes, relictis regnis temporalibus, ut cæleſtis regni introitum, & æterna D gaudia adipiſci poſſent, à ſancto Papa Sergio in monachos attonſi, regi regum devotè militarunt.

De eodem Rege Offa, & Coenredo iſta *Beda*. Anno Imperii Hofredi quarto, Coenredus, qui regno Merciorum nobiliſſimè tempore aliquando præfuerat, nobilius multo ſceptra regni reliquit. Nam venit Romam, ibique attonſus, Pontificatum habente Conſtantino, ac monachus factus, ad limina Apoſtolorum in precibus, jejuniis, & eleemoſynis uſque ad diem permanſit ultimum: ſuccedente in regnum Coenredo filio Edilredi, qui ante ipſum Coenredum idem regnum tenebat. Venit autem cum illo & filius Sigheri regis Orientalium Saxonum, cujus ſuprà meminimus, vocabulo Offa, juvenis amantiſſimæ ætatis, & venuſtatis, totique ſuæ genti ad tenenda, ſervandaque regni ſceptra exoptatiſſimus. Qui pari ductus devotione mentis reliquit uxorem, agros, cognatos, & patriam propter Chriſtum, & propter Evangelium, ut in hac vita centuplum acciperet, & in ſæculo venturo vitam æternam. Et ipſe ergo, ubi ad loca ſancta Romam pervenerunt, attonſus, & in monachico vitam habitu complens, ad viſionem beatorum Apoſtolorum in cœlis diù deſideratam pervenit. E

His diebus, inquit *Paulus Diaconus*, Bojoariorum gentis dux, orationis gratia ad beatorum Apoſtolorum veſtigia venit. Refert Baronius hanc Theodonis peregrinationem ad annum Domini 626. Neque opus arbitror de re nota, omniumque conſenſu teſtata, plura exempla ſpeciatim commemorare: cùm obvia ſint, & nemini ignota. Etſi Cnutonem Regem Angliæ præterire non debeo, qui undecimo regni ſui anno Romam profectus ad ſuos Anglos de peregrinatione ſua epiſtolam ſcripſit, quam recitat *Malmesburgenſis l. 2.* in qua hæc præter cætera. Notifico vobis me noviter iſſe Romam, oratum pro redemptione peccaminum meorum, & pro ſalute regnorum, &c. Hanc quidem perfectionem Deo jam olim devoveram; ſed pro negotiis regni, & cauſis impedientibus huc uſque non poteram perficere. Nunc autem ipſi Deo meo omnipotenti humiliter gratias ago, quod conceſſit in vita mea Petrum, & Paulum beatos Apoſtolos, & omne Sanctuarium, quod intra Urbem Romam, aut extra addiſcere potui, expetere, & ſecundùm deſiderium meum præſentialiter venerari, & adorare. Et ideò hoc maximè patravi, quia à ſapientibus di- F dici, ſanctum Petrum Apoſtolum magnam poteſtatem accepiſſe à Domino ligandi, atque ſolvendi, clavigerumque eſſe regni cæleſtis, & ideò ſpecialiter ejus patrocinium apud Deum expetere, valdè utile duxi.

Catalogus aliorum, qui Romam ad limina Apoſtolorum peregrinationem inſtituerunt.

Ex infinitis pauci nominabuntur: I. Joannes Perſas Abbas, tempore Gregorii Magni, de quo *Pratum ſpirituale, & Joannes Diaconus in vita S. Gregorii*. II. S. Amandus Epiſcopus Trajectenſis. III. S. Bonitus Epiſcopus Aruernorum. IV. Poppo Abbas. V. Vvambertus Comes cum uxore bis VI. Sidonius Apollinaris, qui ipſe de ſe iſta: Ubi priuſquam, vel pomœria contingerem, triumphalibus Apoſtolorum liminibus affuſus, omnem protinus ſenſi membris malè fortibus exploſum eſſe languorem, poſt quæ cæleſtis experimenta patrocinii, conducti diverſorii parte ſuſceptus, atque etiam nunc iſta inter jacendum ſcriptitans, quieti pauxillum operam impendo. VII. Nicetas Epiſcopus Daciæ, *de quo S. Paulinus*. VIII. S. Vvilibrordus, de quo *Alcuinus in vita ejus*. IX. S. Bonifacius. X. S. Vvilibrordus. XI. S. Vvnibaldus: de quibus in ſingulorum rebus geſtis. XII. Gregorius Turonenſis, ut habetur in vita ejus per Clericos Turonenſes ſcripta. XIII. Ama- G bilis presbyter, de quo *Surius* XIV. S. Guido Brabantenſis Epiſcopus XV. S. Udalricus Auguſtanus Epiſcopus anno Domini 924.

XVI. Diaconus ille, de quo hæc refert *Gregorius Turonenſis*: Homo erat Andegavenſis incola, qui per nimiam febrem eloquium pariter, auditumque perdiderat, & cùm de febre convaluiſſet, ſurdus permanebat, ac mutus. Igitur Diaconus ex provincia illa Romam directus eſt, ut beatorum Apoſtolorum pignora, vel reliquorum Sanctorum, qui illam urbem muniunt, exhiberet. Qui cùm ad parentes infirmi illius perveniſſet, rogant eum, ut eum ſibi comitem itineris ſumere dignaretur, confiſi, quod ſi beatiſſimorum Apoſtolorum adiret ſepulchra, protinus poſſet aſſequi medicinam. Euntibus autem illis, venerunt ad locum ubi beatus Hoſpitius habitabat. Quo ſalutato, ac deoſculato, cauſas itineris Diaconus pandit, ac proficiſci ſe Romam indicat, ſeſeque his, qui ſancto viro de naucleris amici eſſent, commendari depoſcit. H

Cùmque ibi adhuc moraretur, ſenſit vir ſpiritus Domini adeſſe virtutem, & ait Diacono: Infirmum, qui comes tui nunc eſt itineris, rogo, ut meis aſpectibus repræſentes. At ille nihil moratus, velociter ad comitem venit, invenitque infirmum febre plenum, qui per nutum aures ſuas dare tinnitum indicabat: apprehenſumque ducit ad ſanctum Dei. At ille apprehenſa manu cæſarie, attraxit caput illius ad feneſtram, aſſumptoque oleo benedictione ſanctificato, tenens manu ſiniſtra linguam ejus, ori, verticique capitis infudit, dicens: In nomine Domini mei Jeſu Chriſti aperiantur aures tuæ, reſeretque os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine ſurdo, & muto noxium ejecit dæmonium. Et hæc dicens, interrogat nomen. Ille verò clara voce ait: ſic dicor. Cùmque hæc vidiſſet Diaconus, ait: Gratias tibi immenſas refero, Chriſte, qui talia per ſervum tuum dignaris oſtendere. Quærebam Petrum, quærebam Paulum, Laurentiumque, vel reliquos, qui proprio cruore Romam illuſtrant, hic omnes reperi, hic cunctos inveni, &c.

XVII. Vvictburga Abbatiſſa Anglicæ nationis, de qua in A *epiſtola S. Bonifacii ad Eadburgam* ſeu Buggam; quæ Romæ juxta limina S. Petri talem quietem ſe inveniſſe ferebat, qualem diù deſiderando quæſiverat, ut ſcribit idem S. Bonifacius, cujus exemplo excitata Eadburga eandem peregrinationem animo ſuo volvebat, & has cogitationes ſuas etiam ad S. Bonifacium, conſilii cauſa, detulerat: qui præter cætera hæc ad illam reſcripſit. Notum ſit tibi, ſoror chariſſima, de illo conſilio, quo me indignum per literas interrogaſti, quod ego tibi iter peregrinum, nec interdicere per me, nec audenter ſuadere præſumo; ſed quod viſum eſt, dicam: ſi ſolicitudinem, quam erga ſervos Dei, & ancillas, & monaſterialem vitam habuiſti, propter acquirendam quietem, & contemplationem Dei dimiſiſti: quomodo debes nunc ſæcularium hominum verbis, & voluntatibus ſervire cum labore, & tædioſa ſolicitudine? Melius enim mihi videtur, ſi propter libertates ſæculares in patria libertatem quietæ mentis habere nullatenus poſſis, ut peregrinatione libertatem contemplationis, ſi valueris, & poſſis, acquiras, quemadmodum ſoror noſtra Vvictburga faciebat, quæ mihi per B ſuas literas intimavit, per talem vitam, quietem inveniſſe juxta limina S. Petri, qualem longum tempus deſiderando, quæſivit. De iſto autem tuo deſiderio illa mihi mandavit (quia de te ad illam ſcripſi) ut expectes, donec rebelliones, & tentationes, & minæ Saracenorum, quæ apud Romanos nuper emerſere conquieverint, & quoadusque illa, Deo volente, ſuas literas invitatorias ad te dirigat, & hoc mihi optimum videtur eſſe, ut præpares tibi neceſſaria itineris, & ſuſtinens verbum ejus, ut poſteà, quod pietas Dei juſſerit, facias.

Henricus Nordovicenſis Epiſcopus ad eluenda peccata, quæ juvenis admiſerat, Romam ex voto profectus eſt, teſte Polydoro. Narrat *Paulus Diaconus lib. 2. cap. 13.* Fortunatum Pictavienſem Epiſcopum ex oculis laborantem, & Felicem collegam ipſius, profectos eſſe ſanitatis cauſa ad Baſilicam Petri, & Pauli, ac ſanitatem recepiſſe.

Conradus Germanus, de quo mira prodidit *Bonfinius*, etiam hac pietate excelluit.

Item Athelardus Archiepiſcopus Dorobernenſis ſub Leone III. de quo *Malmesburienſis*.

C Simeon Armenus, exacto Eremiticæ converſationis tyrocinio, ſolitudinis antra deſeruit, ut in vita ejus refertur, & orationis ſtudio, Romam peregrinus expetiit. Cùmque multa Sanctorum corpora circumeundo viſitaret, quem nullus in orando labor vix aliquando ſuperaret, tandem ad Oratorium Lateranenſis Eccleſiæ applicuit. Narrat deinceps Auctor, in quale periculum ibidem inciderit; eo quòd ex inſolito, & Armeniaco habitu crederetur eſſe Manichæus; qui frequentes in Armenia: Clerico quodam plebem in ſanctum virum, tanquam in hæreticum concitante; qui temeritatis ſuæ mox pœnas luit, obſeſſus à Dæmone; quem miſeratus vir elevata ſuper eum manu, ſignum crucis, increpando dæmonem, edidit, moxque malignus ſpiritus per os vexati turpiter exclamans, ululando evanuit.

Et hic abrumpo; quis enim finis ſit, ſi quis in hoc Indice pertexendo curioſè progredi velit? Nam ex ſola Anglia innumeri ad limina Apoſtolorum ſeſe perpetim conferebant: qui ne in via exactionibus nimium premerentur, ac gravarentur, Rex Angliæ, & Daniæ Canuto obtinuit; qui in epi- D ſtola, quadam de ſua peregrinatione Romana apud Malmeſburienſem ſic ſcribit: Locutus ſum cum ipſo Imperatore, & Domino Papa, & Principibus, qui ibi erant, de neceſſitatibus totius populi mei, tam Angli, quàm Dani, ut eis concederetur lex æquior, & pax ſecurior in via Romam adeundi, & ne tot clauſuris per viam arcerentur, & propter injuſtum telonium fatigarentur: annuitque poſtulatis Imperator, & Rodulphus Rex, qui maximè ipſarum clauſurarum dominator, cunctique Principes edictis firmarunt, ut homines mei, tam mercatores, quàm alii, orandi gratia viatores, abſque omni angaria clauſurarum, & teloniariorum, cum firma pace Romam eant, & redeant.

☞ *De concurſu facto Romam tempore Jubilæi, videatur Locus de Jubilæo.*

De peregrinatione ad S. Jacobum Apoſtolum.

Origo hujus peregrinationis non injuria refertur ad tempus, quo ſacratiſſimum S. Jacobi corpus in Hiſpania repertum eſt; circa annum Domini 816. Leone III. Pontifice Maximo; ab illo enim tempore ingens hominum multitudo innumeris miraculis, & prodigiis ab Apoſtolo patratis excitata; ex omnibus mundi partibus Compeſtellam ad Reliquias S. Jacobi filii Zebedæi, quem Majorem appellamus, concurrit, & E adhuc quotidie confluit, ut uno ore teſtantur omnes Hiſpanicarum rerum ſcriptores, quorum plerique ſimul excuſſi ſunt duobus voluminibus, quæ *Hiſpaniæ illuſtratæ* nomen præferunt.

Accipe, quæ *Vaſæus* ex priſcis Hiſpaniæ monumentis *in Chronico ſuo* ſcribit: Floruerat antiquitus Compoſtellæ inter Catholicæ fidei cultores Chriſtiana religio. Sed tempore perſequutionis ingruente, & ſuperba paganorum tyrannide Chriſtiani nominis dignitatem conculcante, totus ferè Chriſtianæ religionis cultus longo jam tempore evanuerat. In toto igitur tempore Saracenorum, & longo etiam tempore poſt reſtitutionem fidelium, veneranda B. Apoſtoli tumba, nullius Chriſtiani acceſſu frequentata, fruticum, ſilvarumque ſpiſſitudine manſit diutiſſimè cooperta, nullique uſque ad tempus Theodomiri Irienſis Epiſcopi fuit revelata, aut cognita. Sed quando omnipotenti Deo placuit Eccleſiam ſuam laborantem viſitare, & ejus adverſitatem in proſperitatis tranquillitatem convertere, ſtatim tempus ſuo potenti Imperio mutavit, regnum Hiſpaniæ tranſtulit, & gentili ſuperſtitione per regionem F Hiſpaniæ conculcatam, & prorſus annullatam Chriſti ſui fidem inibi ſuſcitavit. Ante autem illius peſtis expulſionem, Mirus bonæ memoriæ Rex, &c. primus Pontificales ſedes per Hiſpaniæ Provincias conſtituit, & Andream in Epiſcopum eligens, Irienſis cathedræ primus ſublimavit. Cui poſt aliquot annos ſucceſſit Theodominus: In cujus tempore, divinæ majeſtatis omnipotentia, occidentalem Eccleſiam, ſepulchro tanti Apoſtoli revelato, viſitare, & illuminare dignata eſt. Qualiter autem revelatum fuerit, ſequens pagina patefacit. Quidam namque perſonati, & magnæ authoritatis viri, præfato Epiſcopo retulerunt luminaria in nemore, quod ſuper B. Jacobi tumbam, diuturna vetuſtate excreverat, nocturno tempore ardentia multoties vidiſſe, ibique Angelos ſibi frequentius apparuiſſe. Quo audito, ipſemet ad eum locum, ubi illi ſe talia vidiſſe aſſerebant, acceſſit, & luminaria in prædicto loco ardentia propriis oculis procul dubio aſpexit. Divina igitur inſpiratus gratia, præfatum nemuſculum feſtinanter adiit, & diligentius circumſpiciens, quandam domunculam marmoream tumbam intra ſe continentem inter ſilvas, & frutices invenit. Qua inventa, Deo gratias referens, Caſti regis Ilde- G phonſi, qui tunc in Hiſpania regnabat, præſentiam incunctanter adivit, eique rem, ut audierat, & propriis oculis viderat, veraciter notificavit. Ipſe verò tantæ audientiæ gaudio diffuſus, citato calle has partes intravit, & ad honorem tanti Apoſtoli Eccleſiam reſtaurans, Epiſcopum Irienſis ſedis in hunc locum, qui Compoſtella dicitur, multorum Epiſcoporum, ac Dei ſervorum, nobiliumque virorum authoritate, atque privilegio regali commutavit. Hoc autem ſub tempore Caroli Magni factum eſſe, multis referentibus, audivimus. Theodomirus verò Epiſcopus, tanto fidentius oculos mentis ad cœleſtis patriæ conſiderationem erigebat, quanto frequentius beatum Jacobum, poſt baſilicam ſibi factam, miraculis, & virtutibus coruſcare conſpiciebat. Spe ergo cœleſtium præditus aliquanto interjecto tempore, vitam ſecurus effudit finali ſorte interveniente. Hæc ex antiquis Hiſpaniæ monumentis *Vaſæus*.

Scripſit Calliſtus II. Pontifex Maximus, integrum librum de miraculis S. Jacobi, quem ferè totùm *ſpeculo ſuo Hiſtorico* inſeruit *Vincentius*. Extant & apud alios præſertim ſcriptores re- H rum Hiſpanicarum, clariſſima per merita S. Jacobi patrata miracula. Mitto dicere, in Hiſpania ex decreto Calliſti Pontificis, quotannis quinto nonas Octob. agi ſolemnitatem, qua recoluntur, & grata mente celebrantur miracula à Deo per D. Jacobum edita; quorum unum, vel alterum adſcribere non gravabor. Primum ex *Petro Abbate*, qui iſta. Quanta ſunt illa ad illorum comparationem, quæ à veracibus, & fide dignis viris accepi: vel ab eis, qui viderunt; vel ab his, qui à videntibus acceperunt? Inter quæ, & Apoſtoli Jacobi peregrinus, fraude dæmoniaca à ſemetipſo occiſus, ab eodem Apoſtolo aliquantis poſt mortem interpoſitis diebus ſuſcitatus; & quid exutus corpore vidiſſet, & quod ſancti illius meritis ad corpus rediſſet, narravit.

Lucius Marinæus Siculus. Habet Hiſpania præter Sanctos, & Martyres, quos ſuprà memoravimus, alios etiam cõplures, & ſacras ædes, & domos inſignes miraculis celebratas, quas nõ Hiſpaniæ ſolùm populi, ſed externæ quoque gentes, & principes religionis Chriſtianæ cultores frequentare ſolent, ſua vota, promiſſaque ſolventes. Veniunt enim de remotiſſimis regionibus, & ex Europa ferè tota Chriſtiani Reges, magnique Principes

cipes, peregrinantes in Hiſpaniam, Compoſtellamque Gallæ- A ciæ Provinciæ civitatem, S. Jacobi miraculis invitati, ſua dona, magnaque ferentes: qui ſummi Pontificis autoritate, gratiaque S. Spiritus omni culpa, pœnaque ſoluti lætantes domum ſuam revertuntur. Operæ pretium eſt anno remiſſionis peccatorum, quod Jubilæum vocant, videre præter Hiſpanos quàm plurimos, innumeros etiam peregrinos ad hoc ſanctiſſimum templum confluentes.

Scribit deinceps *Marinæus* miraculum mirificiſſimum; In antiquiſſima civitate, ait, quam S. Dominici Calciatenſis vulgus appellat, gallum vidimus, & gallinam, qui dum vixerunt, cujus coloris fuiſſent, ignoramus: poſteà verò cum jugulati fuiſſent, & aſſi, candidiſſimi revixerunt, magnam Dei potentiam, ſummumque miraculum referentes. Cujus rei veritas, & ratio ſic ſe habet: Vir quidam probus, & amicus Dei, & uxor ejus optima mulier, cum filio ejus adoleſcentulo magnæ probitatis ad S. Jacobum Compoſtellam proficiſcentes, in hanc urbem itineris labore defeſſi ingrediuntur, & quieſcendi gratia reſtiterunt in domo cujuſdam, qui adultam filiam habebat. Quæ, cùm adoleſcentem pulcra facie vidiſſet ejus amore capta eſt. Et cùm juvenis ab ea requiſitus, atque B vexatus, ejus voto repugnaſſet, amorem convertit in odium, & ei nocere cupiens, tempore, quo diſcedere volebant, ejus cucullo crateram ſui patris clam repoſuit: Cùmque peregrini manè diſceſſiſſent, exclamavit puella coram parentibus, crateram ſibi fuiſſe ſurreptam. Quod audiens prætor, ſatellitem confeſtim miſit, ut peregrinos reduceret. Qui cùm veniſſent, puella conſcia ſui ſceleris acceſſit ad juvenem, & crateram eruit è cucullo. Quapropter comperto delicto, juvenis in campum productus iniqua ſententia, & ſine culpa laqueo ſuſpenſus eſt: miſerique parentes, cùm filium deploraſſent, poſteà diſcedentes Compoſtellam pervenerunt. Ubi ſolutis votis, & Deo gratias agentes, ſubinde redeuntes ad locum pervenerunt, ubi filius erat ſuſpenſus: & mater multis perfuſa lacrymis ad filium acceſſit, multùm diſſuadente marito. Cùmque filium ſuſpiceret, dixit ei filius: Mater mea noli flere ſuper me, ego enim vivus ſum: quoniam virgo Dei genitrix, & S. Jacobus, me ſuſtinent, & ſervant incolumem. Vade chariſſima mater ad judicem, qui me falsò condemnavit, & dic ei, me vivere propter innocentiam meam, ut me liberari jubeat, tibique reſtituat. Properat ſolicita mater, & piæ nimio gaudio flens uberius, Prætorem convenit in menſa ſedentem, qui gallum, & C gallinam aſſos, ſcindere volebat. Prætor, inquit, filius meus vivit, jube ſolvi obſecro. Quòd cùm audiſſet Prætor, exiſtimans eam, quod dicebat, propter amorem maternum ſomniaſſe, reſpondit ſubridens. Quid hoc eſt, bona mulier? Ne fallaris, ſic enim vivit filius tuus, ut vivunt hæ aves. Et vix hoc dixerat, cùm gallus, & gallina ſaltaverunt in menſa, ſtatimque gallus cantavit. Quòd cùm Prætor vidiſſet, attonitus continuò egreditur, vocat ſacerdotes, & cives proficiſcuntur ad juvenem ſuſpenſum, & invenerunt incolumem, valdeque lætantem, & parentibus reſtituunt, domumque reverſi gallum capiunt, & gallinam, & in Eccleſiam transferunt magna ſolemnitate. Quæ ibi clauſæ, res admirabiles, & Dei potentiam teſtificantes obſervantur, ubi ſeptennio vivunt. Hunc enim terminum Deus illis inſtitui, & in fine ſeptenii antequam moriantur, pullum relinquunt, & pullam ſui coloris, & magnitudinis, & hoc fit in ea Eccleſia, quolibet ſeptennio. Magnæ quoq; admirationis eſt, quod omnes per hanc urbem tranſeuntes peregrini, qui ſunt innumerabiles, galli hujus, & gallinæ plumam D capiunt, & nunquam illis plumæ deficiunt. Hoc ego teſtor, propterea quod vidi, & interfui, plumamque mecum fero.

Hæc *Lucius Marinæus*. Plura ſuppeditabunt cùm alii, tum Calliſtus, & Vincentius; niſi forſan audire lubeat illud in vita S. Dominici. Viro Chriſtianiſſimo, Comite Montis fortis cum cruce ſignatis obſidente Toloſam, venerunt peregrini ex Anglia, S. Jacobi limina viſitaturi. Ii propter excommunicationem vitantes Toloſam, in naviculam ſe contulerunt, ut fluvium tranſirent. Præ multitudine verò hominum, qui erant ferè quadraginta, depreſſa eſt navis, & omnes ſubmerſi ſunt, ita ut nec capita ab aquis extarent. Orabat tunc in vicina Eccleſia S. Dominicus, clamoreque pereuntium, & circumſtantis exercitus permotus, feſtinus eò occurrit: cernenſque præſentiſſimum periculum, commiſeratione affectus, toto corpore proſternitur, expanſis in crucis formam manibus, flens acerbiſſimè clamat ad Dominum, ut ſuos peregrinos ſervet à morte. Paulò pòſt ſurgens ab oratione, converſus ad fluvium, cum multa in Deo fiducia, ita ait. Præcipio vobis, ut omnes ad litus evadatis. Mira res, ſed ab illo facta, qui facit mirabilia magna ſolus: Confeſtim ad eam vocem omnes, qui tam diù ſub aquis preſſi latuerant, cunctis cernentibus, qui ad illud triſte ſpectaculum E confluxerant, ſuper undas emerſerunt. Mox undique accurrentes, porrigenteſque eis lanceas, & haſtas, univerſos è fluctibus incolumes eduxerunt, clementiam Salvatoris, & almi ejus confeſſoris Dominici merita laude, & prædicatione efferentes.

Peregrinationem ad S. Jacobum obiit cauſa pœnitentiæ VVilhelmus Comes Pictavienſis, & Dux Aquitaniæ, ut *in ejus vita* ſcribit Theobaldus.

Peregrinationem ad S. Jacobum ſuſcepit, ac peregit quoque pater S. Birgittæ, ut in ſanctæ hujus viduæ vita ſcribitur; & Magnus Bernandus ſeu Ferdinandus Rex Caſtellæ anno Domini 1037. devicto Rege Legionenſi, totoque ejus regno in poteſtate redacto.

De peregrinationibus ad ſepulchra, & memorias aliorum Apoſtolorum.

Celebrat Eccleſia feſtum translationis S. Thomæ tertio die Julii; de qua *Martyrologium Romanum*: Edeſſæ in Meſopotamia translatio S. Thomæ Apoſt. ex India; cujus reliquiæ Orthonam in Apulia poſteà tranſlatæ ſunt. Baſilicam hujus Apo- F ſtoli Edeſſæ inſigni hominum concurſu celebratam fuiſſe docet his verbis *Socrates*: De facinore à Valente Edeſſæ Meſopotamiæ edito, hoc loco dicamus. In ea civitate egregium, & magnificum templum eſt D. Thomæ Apoſtolo dicatum, crebraque hominum multitudo eò propter loci ſanctitatem confluit. Quod quidem Valens videre cupiens, cùm pro certo cognoſceret, ipſius hæreſim univerſæ hominum multitudini, qui ibi conveniebant, inviſam eſſe: fertur manu Præfectum propterea percuſſiſſe, quòd illos inde non antè abigendos curaſſet. Ubi verò Præfectus hac inſigni affectus contumelia, ſe paraſſet animo valdè invito (noluit enim tantæ hominum frequentiæ cædem inferre) ad Imperatoris iræ obſequendum, clam illis ſignificat, ut nemo in eo templo offenderetur. Verùm nemo erat, qui ejus vel conſilio, vel minis animum adverteret. Nam poſtridie omnes gregatim ad illud templum convolant, Ac dum Præfectus cum ingenti militum manu ad templum, quo Imperatoris animum bile accenſum ſatiaret, ire maturat: mulier quædam inops cum filio ſuo manu ſecum attracto, eò accurrens, turmam ſtipatorum mediam perrumpit. Quam rem Præfectus graviter, & indignè ferens, mulierem ad ſe adduci jubet, eamque ſic compellat: O infelix mulier, quò tam temerè G properas? Tum illa: Quò alii, inquit, etiam properant. Et ille: An non inquit, audiviſti, Præfectum omnes, quos ibi repererit, interfecturum? Audivi equidem, inquit, & propterea propero, ut ibi ipſa reperiar. Quæ, cùm Præfectus audiviſſet, inde de reliquorum ad eum locum concurſantium confidentia, conjecturam fecit. Idcircò Imperatorem adit, illumque docet, omnes ad mortem pro fide ſua oppetendam eſſe paratos, adjecitque, facinus temerarium, & indignum eſſe, tantam multitudinem tam exiguo temporis momento neci dare. Atque adeò Imperatori perſuaſit, ut iracundiæ ſuæ flammam extingueret. Ad hunc modum, itaque Edeſſeni effugerunt, ne ab Imperatore prorſus expugnarentur.

Tradunt Indicarum rerum Scriptores Oſorius, Maffejus, & alii, Indos, qui de Civitate S. Thomæ ſunt, ſibi corpus hujus Apoſtoli vendicare; ejuſque Eccleſiam frequenti concurſu tam advenarum, quàm indigenarum frequentari: Sed cum de translatione facta Edeſſam luce clarius conſtet, *ait Baronius*, dicere de hoc cogimur, quod frequenter de aliis repetitur, nempe unius corporis partes in diverſa loca diſtributas, mul- H tis occaſionem dediſſe opinandi, vel hìc, vel alibi contineri unum, idemque corpus.

Mira ſunt, quæ de miraculis in Indico D. Thomæ templo evenire ſolitis cõmemorat *Gregorius Turonenſis*, quæ ipſe ſuis verbis nobis explicet: In loco regionis Indiæ, quo prius quievit, monaſterium habetur, & templum miræ magnitudinis, diligenterque exornatum, atque compoſitum. In hac igitur æde, magnum miraculum Deus oſtendit. Lychnus etenim inibi poſitus, atque illuminatus ante locum ſepulturæ ipſius perpetualiter die, noctuque, divino nutu reſplendet, à nullo fomento olei, ſcirpique accipiens, neque vento extinguitur, neque caſu dilabitur, neque ardendo minuitur; habetque incrementum per Apoſtoli virtutem, quod neſcitur ab homine, cognitum tantùm habetur divinæ potentiæ. Hoc Theodorus, qui ad ipſum locum acceſſit, nobis expoſuit. In ſuprà dicta igitur urbe, in qua beatos artus diximus tumulatos, adveniente feſtivitate magnus aggregatur populorum cœtus, ac de diverſis regionibus cum votis, negociiſque venientibus vendendi, comparandique per triginta dies, ſine ulla telonii exactione licentia da-

tur. In his verò diebus, qui in menſe habetur quinto, ma- A gna, & inuſitata populis præbentur beneficia. Non ſcandalum ſurgit in plebe, non muſca inſidet mortificatæ carni, non latex deeſt ſitienti. Nam cùm ibi reliquis diebus pluſquam centenorum pedum altitudine aqua hauriatur è puteis, nunc paululum fodias, affatim lymphas exuberantes invenies: quod non ambigitur virtute beati Apoſtoli impertiri. Decurſis igitur feſtivitatis diebus, telonium publico redditur, muſca, quæ defuit, adeſt; propinquitas aquæ dehiſcit: dehinc emiſſa divinitus pluvia, ita omne atrium templi à ſordibus, & diverſis ſqualoribus, qui per ipſa ſolemnia facti ſunt, mundat, ut putes eum, nec fuiſſe calcatum.

Porrò, quando S. Ephrem Edeſſam venit ad ſacras adorandas reliquias, viſendaque ſancta loca, ut ſcribitur *in vita illius*, dubitandum non videtur, quin etiam D. Thomæ Apoſtoli reliquias piè veneratus ſit, ejuſque Baſilicam venerabundus adierit: cujus ſepulchrum tam fuit notum, ut de eo *S. Chryſoſtomus* iſta ſcripſerat: Apoſtolorum plurimorum oſſa neſcimus, ubi jacent. Petri, & Pauli quidem, Joannis, & Thomæ manifeſta ſunt ſepulchra; aliorum verò cùm tanti ſint, minimè cognitum eſt, ubi ſint. Hæc ille, quæ forſan B magis ex ſua, quàm ex aliorum notitia pronunciavit; præſertim, cùm non longè ante Chryſoſtomi ætatem reliquiæ S. Andreę Apoſtoli Conſtantinopolim ſumma celebritate tranſlatæ fuiſſent.

De S. Andrea Apoſtolo *Martyrologium Romanum*: Conſtantinopoli translatio ſanctorum Andreæ Apoſtoli, & Lucæ Evangeliſtæ de Achaja, & Timothei diſcipuli B. Pauli Apoſtoli ab Epheſo: corpus autem S. Andreæ longo poſt tempore Amalphim delatum, ibi pio fidelium concurſu honoratur, ex cujus ſepulchro liquor ad languores curandos jugiter manat.

Ad ſepulchrum S. Joannis Evangeliſtæ Epheſum Chriſtianos peregrinari conſueviſſe; conſtat *ex Prato ſpirituali*.

De peregrinationibus ad ſepulchra, Reliquias, & Baſilica Martyrum.

Ad loca Martyrum, vel miraculis, vel paſſione, vel Reliquiis, vel ſepulchris, & Baſilicis conſecrata, & illuſtrata, libenter commendabant olim, & hoc etiam ævo Chriſtiani, apud quos antiquæ pietatis amor, ardorque adhuc durat. Nec immeritò; nam quod *Prudentius* cecinit de ſanctis Martyribus Hemeterio, & Celidonio, id non injuria univerſo Martyrum Choro accommodes.

C *Illitas cruore ſancto nunc arenas incolæ*
Confrequentant, obſervantes voce, votis, munere;
Exteri nec non, & orbis huc colonus advenit:
Fama nam terras in omnes præcucurrit proditrix,
Hìc patronos eſſe mundi, quos precantes ambiant.
Nemo puras hìc rogando fruſtra congeſſit preces.
Lætus hinc terſis revertit ſupplicator fletibus,
Omne quod juſtum popoſcit, impetratum ſentiens.
Tanta pro noſtris periclis cura ſuffragantium eſt:
Non ſinunt inane, ut ullus voce murmur fuderit.
Audiunt, ſtatimque ad aurem regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipſo dona terris influunt:
Supplicum cauſas petitis, quæ medelis irrigant.
Nil ſuis bonus negavit Chriſtus unquam teſtibus,
Teſtibus, quos nec catenæ, dira nec mors terruit,
Unicum Deum fateri ſanguinis diſpendio:
Sanguinis ſed tale damnum lux rependit longior.

Hæc verè, & pulchrè Prudentius.

D Reliquias Protomartyris Stephani primus Hieroſolymis in Africam detulit Oroſius Presbyter, divi Auguſtini familiaris ex Hieroſolymitana peregrinatione redux: in quarum honorem, ac cultum variis in locis erectæ ſunt non paucæ Baſilicæ, ſeu Memoriæ, ad quas veniebat magnæ multitudinis concurſus, & occurſus, ut loquitur S. Auguſtinus; invitabantur enim innumeris, ac ingentibus miraculis, quæ Deus per ſanctiſſimi Martyris ſui Lipſana quotidie operabatur; quorum omni exceptione majores teſtes habemus S. Auguſtinum, & Evodium Epiſcopum Uzalenſem in proprio opere de miraculis per Reliquias S. Stephani editis.

Duas habuit Carthagine beatus Cyprianus Baſilicas: alteram ſexto ab urbe lapide, ubi ſanguinem fudit; & hinc ad Sextum dicebatur, in qua altare erat, Menſa Cypriani dictum, non quod, ut S. Auguſtinus inquit, ibi ſit unquam Cyprianus epulatus; ſed quia ibi eſt immolatus: alteram ad Decimum nuncupata, quod tot paſſuum millibus à Carthagine diſtaret ſepulchrum ejus; ad quam è tranſmarinis etiam regionibus orationis gratia frequens erat concurſus. Hinc *Poſtumianus apud Sulpicium*: Ante hoc triennium, quo tempore tibi, Sulpici, hinc abiens valedixit, ubi Nar- E bona navim ſolvimus, quinto die Africæ portum intravimus: adeò proſpera Dei nutu navigatio fuit. Libuit animo adire Carthaginem, loca viſitare Sanctorum, & præcipuè ad ſepulchrum Cypriani Martyris adorare. Etſi prior quoque Baſilica magno Chriſtianorum accurſu celebraretur, teſte *S. Auguſtino*, qui ait: In eo quippe loco, ubi poſuit carnis exuvias, ſylvæ tunc multitudo convenerat, quæ propter odium Chriſti ſanguinem funderet Cypriani. Ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter natalem Cypriani bibit ſanguinem Chriſti. Et tanto dulcius in illo loco propter natalem Cypriani ſanguis bibitur Chriſti, quanto devotius ibi propter nomen Chriſti ſanguis fuſus eſt Cypriani. Denique, ſicut noſtis, quicunque Carthaginem noſtis, in eodem loco menſa Deo conſtructa eſt, tamen Menſa dicitur Cypriani: non quia ibi eſt unquam Cyprianus epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus: & quia ipſa immolatione ſua paravit hanc menſam, non in qua paſcat, ſive paſcatur; ſed in qua ſacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur. Sed ut menſa illa, quæ Dei eſt, etiam Cypriani vocetur, hæc cauſa eſt: quia ubi illa modò cingitur ab obſequentibus, F ibi Cyprianus cingebatur à perſequentibus. Ubi nunc illa ab amicis orantibus honoratur, ibi Cyprianus ab inimicis frementibus calcabatur. Poſtremò, ubi illa erecta eſt, ibi proſtratus eſt.

Fuit ejuſdem beatiſſimi Martyris in Lucania clariſſima vel Memoria, vel Baſilica; ad quam ipſo S. Cypriani natali ingens hominum turba confluebat; tum Martyris honorandi, tum etiam res ſuas vendendi, aliaſque emendi gratia: jam enim nunc peregrinationes ad templa traxerunt eò mercatores, ita ut feſtivitati, & peregrinationi nundinæ adhiberentur. Quod & in his noſtris regionibus animadvertere licet, ſi quis oculos circumferre velit: nam pleræque nundinæ ex peregrinationibus ad pia loca extiterunt: hominibus hac congregatæ multitudinis occaſione, rem quoque ſuam facere volentibus. Sed ut ad lineam redeam; cùm in frequentiſſima illa Panegyri, quæ die feſto S. Cypriani agebatur, inſtitores, qui eò ſe contulerant, tum propter colendum Martyrem, tum propter mercaturam factitandam, variis afficerentur injuriis, præſertim tenuiores, & quibus minor erat facultas adverſus potentiorum impotentiam, & inſolentiam; motus Athalaricus Gothorum Rex hoc ad Severum reſcriptum dedit: ex quo totius hujus feſti celebritatem perſpicuè intelligere poſſimus, & un- G de etiam hodiernus in noſtris provinciis (forſan & exteris) mox natus ſit? æquè clarè cognoſcere. Sic igitur ille Rex: Frequenti probatione didicimus, Lucaniæ conventu, &c. præſumptionibus illicitis ruſticorum facultates negotiantium hoſtili direptione ſæpe laceratas: ut qui ad natale ſancti Cypriani religioſiſſimè venerant peragendum, mercimoniiſque ſuis faciem civitatis ornare, egentes turpiter, inaneſque diſcederent. Hoc nos ſimplici, ac facili remedio credidimus corrigendum, ut ſpectabilitas veſtra prædicto tempore unà cum poſſeſſoribus, atque conductoribus diverſarum maſſarum, ad quietem convenientium, anticipata debeat cautela procurare, ut atroces facti reos inveniat, quos pœna conſumat. Quod ſi aliquis ruſticorum, vel cujuslibet loci homo, cauſas nefandæ litis attulerit, inter ipſa initia comprehenſus fuſtuariæ ſubdatur protinus ultioni: & pompatus mala nota corrigat, qui prius occultum facinus excitare tentabat. Eſt enim conventus iſte & nimia celebritate feſtivus, & circumjectis Provinciis valdè proficuus. Quidquid enim præcipuum, aut induſtrioſa mittit H Campania, aut opulenti Brutii, aut Calabri pecunioſi, aut Apuli idonei, vel ipſa poteſt habere Provincia, in ornatum pulcherrimæ illius venalitatis exponitur: ut meritò tam ingentem copiam judices de multis regionibus congregatam. Videas enim illic collucere pulcherrimis ſtationibus latiſſimos campos, & de amœnis frondibus intextas ſubitò momentaneas domos, populorum cantantium, lætantiumque diſcurſum. Ubi licèt non conſpicias operam mœnium, videas tamen opulentiſſimæ civitatis ornatum, &c. Hic erumpit aquarum perſpicua, & dulcis ubertas, ubi in modum naturalis antri abſidis fabricata concavitas, ſic perſpicuos liquores emanat, ut vacuum putes lacum, quem non dubitas eſſe pleniſſimum. Hic perlucidus uſque ad fundum patet: ut aſpectibus tuis acrem potius apparere judices, non liquorem, &c. longa ſunt, illius fontis memoranda deſcribere.

Veniamus ad illud ſingulare munus, ſanctumque miraculum. Nam cùm die ſacratæ noctis precem baptiſmatis cœperit ſacerdos effundere, & de ore ſancto ſermonum fontes emana-

rè, mox in altum unda proſiliens, aquas ſuas non per meatus A ſolitos dirigit, ſed in altitudinem, cumuloſque tranſmittit: erigitur brutum elementum ſponte ſua, & quadam devotione ſolemni præparat ſe miraculis, ut ſanctificatio majeſtatis poſſit oſtendi. Nam cùm fons ipſe quinque gradus tegat, eoſque tantum ſub tranquillitate poſſideat, aliis duobus cernitur creſcere, quos nunquam præter illud tempus cognoſcitur occupare. Magnum, ſtupendumque miraculum, fluenta labentia, ſic ad humanos ſermones, vel ſtare, vel creſcere, ut eis credas audiendi ſtudium minimè defuiſſe. Fiat venerabilis omnium ſermone fons iſte cæleſtis. Habet & Lucania Jordanem ſuum. Ille exemplum baptiſmatis præſtitit; hic ſacrum miniſterium annua devotione cuſtodit. Quapropter & reverentia loci, & utilitas rei dare debet populis ſanctiſſimam pacem, quia cunctorum judicio ſceleratiſſimus habendus eſt, qui talium dierum gaudia temerare contendit. Hæc pulchrè Rex Gotthicus de ſacro hoc conventu, non tamen ſine inſigni mercatu ex occaſione tantæ multitudinis eo concurrentis prognato.

Clara eſt apud Græcos præſertim memoria S. Demetrii, ut patet ex Cedreno, Glyca, Zonara, Cantacuzeno, Codino B Curopalata, & aliis, cujus diem feſtum agunt Latini VIII. Octobris; Græci 7. Kalend. Novemb. Martyrio functus eſt ſub Maximiano Imp. & Theſſalonicæ tumulatus; ad cujus ſepulchrum ex tota Græcia, & Macedonia, & circumjactantibus provinciis, ſtatim à morte obita, Chriſtiani frequentiſſimi, & frequentiſſimè confluxerunt, ingentibus, quæ patrabantur, miraculis excitati, & invitati, quorum teſtes, omnes ſupra nominati Græcorum Hiſtorici.

De S. Sergio *Martyrologium Romanum VII. Octobris*. In provincia, quæ nuncupatur Auguſta Euphrateſia, ſanctorum martyrum Sergii, & Bacchi nobilium Romanorum, ſub Maximiano Imperatore: quorum Bacchus tamdiù nervis crudis cæſus eſt, quoad uſque toto corpore diſciſſus, in confeſſione Chriſti emitteret ſpiritum: Sergius verò clavatis cothurnis pedes indutus, cum in fide fixus maneret, data ſententia, juſſus eſt decollari, cujus nomine locus, ubi quieſcit, Sergiopolis appellatus, ob præclara miracula frequenti Chriſtianorum concurſu honoratur.

C Immò locus iſte non modò Chriſtianis, ſed & Perſis à vera fide alienis in pretio, & honore fuit, quem precioſiſſimis muneribus Choſroes Rex Perſarum auxit. De quibus plura Theophylactus Simocates, Evagrius, Nicephorus. Templum hoc (Sergii Martyris) inquit Procopius, donariorum acceſſione nobile, & opulentum omninò factum eſt. Peregrinationis ad S. Sergium in Araphas mentio fit in Prato ſpirituali, & in ſecunda Synodo Nicæna.

De peregrinatione, & accurſu fidelium ad Baſilicam, & ſepulchrum S. Hippolyti Martyris, cujus feſtum celebratur XIII. Auguſti; hæc pulcherrimè doctiſſimus vates *Prudentius*, poſtquam deſcripſerat locum, in quo S. Hippolyti reliquiæ aſſervabantur.

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi appoſita eſt ara dicata Deo.
Illa ſacramenti donatrix menſa, eademque
Cuſtos fida ſui martyris appoſita:
D *Servat ad æterni ſpem judicis oſſa ſepulchro,*
Paſcit item ſanctis Tibricolas dapibus.
Mira loci pietas, & prompta precantibus ara;
Spes hominum placida proſperitate juvat.
Hìc corruptelis animique, & corporis æger
Oravit quoties ſtratus, opem merui:
Quod lætor, merui, quod te, venerande ſacerdos,
Complecti licitum eſt, ſcribo quod hæc eadem:
Hippolyto ſcio me debere, Deus cui Chriſtus
Poſſe dedit, quod quis poſtulet, annuere,
Ipſa illas animæ exuvias, quæ continet intus
Ædicula, argento fulgurat ex ſolido.
Præfixit tabulas dives manus æquore lævi
Candentes, recavum quale nitet ſpeculum.
Nec partis contenta aditus obducere ſaxis,
Addidit ornando clara talenta operi.
Manè ſalutatum concurritur; omnis adorat
Pubes, eunt, redeunt ſolis ad uſque obitum.
Conglobat in cuneum Latios, ſimul ac peregrinos
Permiſtim populos religionis amor.

Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo: E
Balſama diffudunt, fletibus ora rigant.
Jam cùm ſe renovat decurſis menſibus annus,
Natalemque diem paſſio feſta refert:
Quanta putas ſtudiis certantibus agmina cogi,
Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs anguſta ſuos vomit, effunditque Quirites,
Unà & patricios ambitione pari.
Confundit plebeja phalanx umbonibus æquis
Diſcrimen procerum præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies ſe candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitu variarum hinc inde viarum
Indigena, & Picens, plebs & Hetruſca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator, & altæ
Campanus Capuæ, jamque Nolanus adeſt.
Quiſque ſua latus cum conjuge, dulcibus & cùm
Pignoribus, rapidum carpere geſtit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret & in magnis denſa cohors ſpatiis.

Cæterùm inter omnes ad monumenta Martyrum peregrinationes, vix videtur fuiſſe celebrior, quàm illa Nolam ad ſe- F pulchrum, & Baſilicam S. Felicis Presbyteri, & Martyris, cujus feſtum XIV. die Januarii colit Eccleſia: Et eſt diversùs à Felice Epiſcopo Nolano Martyre, cujus anniverſaria memoria celebratur XV. die Novembris. Quanta autem fidelium multitudo ad S. Felicem presbyterum Nolanum conflueret, præſertim ipſo Martyris Natali, clarè nos docet *S. Paulinus*, oculatus teſtis, inſpectorque omnium, quæ accidebant, mirabilium, ſummuſque S. Felicis amator, & cultor; qui tertio S. Felicis Natali in modum canit.

Nec modus eſt populis coeuntibus agmine denſo,
Nec requies; properant in lucem à nocte, diemque
Exſpectare piget: votis avidis mora noctis
Rumpitur; & noctem flammis funalia vincunt.
Stipatam multis unam juvat urbibus urbem
Cernere; totque uno compulſa examina voto.
Lucani coeunt populi; coit Appula pubes;
Et Calabri, & cuncti, quos alluit æſtus uterque,
Qui læva, & dextra Latium circumſonat unda;
Et quà cis ternas Campania læta per urbes, G
Ceu propriis gaudet feſtis; quos mœnibus amplis
Dives habet Capua; & quos pulchra Neapolis; aut quos
Gaurus alit; læta exercent, qui Maſſica; quique
Uſentem, Sarnumque bibunt; qui ſicca Tanagri,
Quique colunt rigui felicia culta Galeſi:
Quos Atina potens, quos mater Aricia mittit,
Ipſaque cœleſtum ſacris Procerum monumentis
Roma, Petro, Pauloque potens; rareſcere gaudet
Hujus honore Dei: portæque ex ore Capenæ,
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ.
Dimittit, duodena decem per millia, denſo
Agmine, confertis longè latet Appia turbis.
Nec minus ex alia populis regione profectis,
Aſpera montoſæ carpuntur ſtrata Latinæ:
Quos Prœneſte altum, quos fertile paſcit Aquinum;
Quoſque ſuburbanis vetus Ardea mittit ab oris;
Quique urbem liquere Cales, geminumque Teanum,
Quam gravis Auruncus, vel quàm colit populus aſper;
Huc & olivifero concurrit turba Venafro; H
Oppida, Samnites duri, montana relinquunt.
Vicit iter durum pietas: amor omnia Chriſti
Vincit, & alma fides, animiſque, lociſque rigentes
Suadet acerba pati ſimul aſpera ponere corda.
Una dies cunctos vocat, una & Nola receptat:
Votaque plena ſuis, ſpatioſaque limina cunctis;
Credas innumeris, ut mœnia dilatari,
Hoſpitibus ſic Nola adſurgit imagine Romæ.

Hæc de frequentia accurrentis populi S. Paulinus: qui & hæc de miraculis ibidem patrari conſuetis habet.

Martyris oſtendit meritum, cum jure potenti
Dæmonas exercet, devinctaque corpora ſolvit.
Nam ſibi Felicem, cæcis incumbere pœnis,
Peſtiferi proceres triſti clamore fatentur.
Occultaſque cruces gemitu teſtantur aperto;
Velatumque oculis mortalibus, at manifeſtum
Auribus, & multo præſentem Numine, produnt
Cùm captiva intra deprenſi corpora, Chriſtum
In ſancto fulgore ſuo clamantque probantque

Membrorum incuſſu tremuli; capitumque rotatu,
A *Tormentiſque ſuis, ſed non ſua corpora torquent*
Clamantes proprios aliena per ora dolores,
Orantum veniam: latet ultor, pœna videtur.
Tum ſi quos graviore malo violentior hoſtis
Vinxerit; iſta dies divino munere ſolvit.
Cernere tunc paſſim eſt ſacra purgata medela
Pectora liminibus ſterni, jam mente refectos,
Gratantes jam voce ſua. Concurrit hiantum
Turba tremens hominum; miſta inter gaudia cunctis
Proſiliunt lacrymæ, &c.

Idem S. Paulinus *Natali ſexto.*

Unde igitur tantus circumſtat limina terror?
Quis tantos agit huc populos? quænam manus urget
Dæmonas? invitoſque rapit? fruſtraque rebelli
Voce reclamantes compellit aduſque ſepulchrum
Martyris, & ſancto, quaſi fixos limine ſiſtit?

Et quamvis toto anno ad reliquias S. Felicis plurima miracula ederentur, maximè tamen Natali illius increbreſcebant. Teſtatur hoc his verſibus *S. Paulinus*:

Sed tamen hac ipſa mirum in virtute notatur,
B *Quòd licèt in toto cruciatos dæmonas anno*
Exagites, jubeatque hominum diſcedere membris,
Producat pleroſque tamen, quo longior hoſtes,
Pœna malos agitet, velut illi, qui meruere
Vaſa malis fieri, ut meritum tardante medela
Plenius omne luant decreto tempore crimen.
Sive hoc natali ſtudet indulgere diei,
Ut paucis aliis det opem, quo plura benignus
Natali det dona ſuo, nam cùm iſta propinquat
Elabente dies anno, tunc crebrior inſtat,
Et gravior, videas tunc ægra examina cogi
Denſius, & certam repeti propè feſta ſalutem,
Tunc ſolito gravius ſuccenſi dæmonas ardent,
Flebiliuſque ululant, & vi majore ſubacti
Ultima jam tormenta gemunt, nec abire ſinuntur
Exceſſu facili, ſed miris antè agitati,
Et variis malè ſuppliciis tolluntur in altum
Suſpenſi ſolito ſublimius, & patiuntur
Aeris in vacuo, vincliſque latentibus hærent,
Pœnali per inane mora, per non ſua quamvis
Corpora vexatos hoſtes ſua pœna fatigat, &c.

Idem S. Paulinus de frequentia peregrinorum ad ſepulchrum S. Felicis confluentium.

C *Omni namque die teſtes ſumus undique crebris*
Cœtibus, aut ſanos gratantia reddere vota,
Aut ægros varias petere, ac ambire medelas.
Cernimus & multos peregrino à litore vectos
Ante ſacram ſancti proſtratos martyris aram,
Dum referunt grates tolerata referre pericla,
Teſtantes validis colliſa nave procellis,
Se raptos miſerante Deo Felicis, ut ipſa
Educente manu, mari emerſiſſe profundo,
Et deſperatam placido cepiſſe ſalutem,
Felicis meritis & aquas, & cedere flammas.

Et Natali nono.

Limina conferta: prope ſemper plebe videmus
Natalem Felicis agi: nam quæ, rogo, votis
D *Caſſa dies oritur? vel magnis rara catervis?*

Ad cujus Natalem contulit ſe etiam ex Dacia Nicetas Epiſcopus, cujus peregrinationem, & pietatem amœniſſimis verſibus decantat S. Paulinus *Natali nono*: quem ad ſua, ſuoſque redeuntem, proſecutus eſt carmine Sapphico, eoque tam pio, & ſuavi, quàm longo. Nec illud prætereundum; S. Paulinum cubicula, & conclavia pro peregrinis extruenda curaſſe, ipſi S. Felicis Eccleſiæ quaſi adſita, & agglutinata, ut inde in ipſam Baſilicam proſpectus pateret: quod planum ex his verſibus *Natali nono*.

conſpice rurſum
Impoſitas longis duplicato tegmine cellas
Porticibus metanda bonis habitacula dignè
Quos huc ad ſancti juſtum Felicis honorem
Duxerit orandi ſtudium, non cura bibendi:
Nam quaſi contiguata ſacris cœnacula tectis,
Spectant de ſuperis altaria tota feneſtris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora ſedem.

Et poſt nonnulla:

His igitur vicinus erit quicumque ſupernis,
Caſtus aget tectis, & qui procul advena recto
Percitus affectu ſanctas properavit ad ædes:
Cùm volet oratum Chriſto ſecretus adire. E
Sive die, ſeu nocte velit ſua promere vota:
Impiger adtiguo de limine prodeat hoſpes.

Adjunxit S. Paulinus in gratiam peregrinorum ciſternas non paucas: de quibus ipſe:

Forſitan hæc inter cupidas ſpectacula quæras,
Unde replenda ſit hæc tot fontibus area dives.
Cùm procul urbs, & ductus aquæ propè nullus ab urbe
Exiguam huc tenui demittat limite guttam,
Reſpondebo nihil propria nos fidere dextra,
Nil ope terrena confidere: cuncta potenti
Depoſuiſſe Deo, & fontes præſumere cœlo.
Denique ciſternas adſtruximus undique tectis,
Capturi fundente Deo de nubibus amnes.
Unde fluant pariter plenis cava marmora labris, &c.

Porticus Baſilicæ S. Felici adjunctas, veteris novique teſtamenti picturis idem S. Paulinus exornavit, ut peregrini, præſertim rudiores, his ſpectandis occupati, minus de epulis ineundis cogitarent: plerique enim ex imperita agreſtium multitudine putabant ipſum S. Felicem conviviis itidem hone- F ſtandum, & honorandum eſſe; non tantum religioſo cultu, & precibus. *S. Paulinus.*

Cernite quàm multi coeant ex omnibus agris
Quamque piè rudibus decepti mentibus errent;
Longinquas liquere domus, ſprevere ruinas:
Non gelidi fervente fide, & nunc ecce frequentes,
Per totam, & vigiles extendunt gaudia noctem:
Lætitia ſomnos; tenebras funalibus arcent.
Verùm utinam ſanis agerent hæc gaudia votis,
Nec ſua liminibus miſcerent pocula ſanctis.
Quamlibet hæc jejuna cohors potiore reſultet
Obſequio, caſtis ſanctos quoque vocibus hymnos
Perſonat, & Domino cantatam ſobria laudem
Immolat; ignoſcenda tamen puto talia, parvis
Gaudia, quæ ducunt epulis: quia mentibus error
Irrepit rudibus, nec tantæ conſcia culpæ,
Simplicitas pietate cadit, malè credula Sanctos
Perfuſis halante mero gaudere ſepulchris, &c.

Et mox:

Propterea viſum nobis opus utile, totis
Felicis domibus pictura ludere ſancta,
Si fortè attonitas hæc per ſpectacula mentes
Agreſtum caperet fucata coloribus umbra,
Quæ ſuper exprimitur titulis, ut litera monſtret G
Quod manus explicuit: dumque omnes picta viciſſim
Oſtendunt, releguntque ſibi vel tardius eſcæ
Sint memores, dum grata oculis jejunia paſcunt,
Atque ita ſe melior ſtupefactis inſerat uſus,
Dum fallit pictura famem, ſanctaſque legenti
Hiſtorias caſtorum operum, ſurrepit honeſtas
Exemplis inducta piis: ſuadetur hianti
Sobrietas, nimii ſubeunt oblivia vini.
Dumque diem ducunt ſpatio majore tuentes,
Pocula rareſcunt: quia per miracula tracto
Tempore jam paucæ ſuberunt epulantibus horæ.

Offerebant iidem peregrini S. Felici munera, vela nimirùm tegendis hoſtiis; laminas argenteas, ornandis liminibus, & tabulas, quibus beneficia accepta inſcribebantur; ce- H reos pictos, reſque odoriferas, & liquores perfundendo Martyris tumulo, & id genus alia, de quibus S. Paulinus:

Cedo; alii precioſa ferant donaria, meque
Officii ſumptu ſuperent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris:
Hi leves titulo lento poliant argento,
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis:
Aſt alii Pictis accendant lumina ceris,
Multiforeſque cavis lichnos laquearibus aptent.
Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas,
Martyris hi tumulum ſtudeant perfundere nardo,
Et medicata pio regerant unguenta ſepulchro, &c.

Immò tanta omnibus erga S. Felicem fiducia erat, ut ad tumulum ejus etiam ipſa ægra jumenta adducerent, ſanitatis à Martyre impetrandæ gratia: Audi S. Paulinum:

Cernere ſæpè juvat variis ſpectacula formis
Mira ſalutantum, & ſibi quæque accommoda votis
Poſcen-

Poſcentum, videas etiam de rure colonos
A *Non ſolùm gremio ſua pignora ferre paterno,*
Sed pecora ægra manu ſæpe introducere ſecum,
Et Sancto, quaſi conſpicuo mandare licenter,
Moxque datam ſua confiſos ad vota medelam
Experto gaudere Deo, & jam credere ſana:
Et verè plerumque brevi ſanata ſub ipſo
Limine læta ſuis jumenta reducere tectis.

Neque verò Africanis, & præſertim S. Auguſtino hæc peregrinatio Nolam ad S. Felicem, ignota fuit: Statuerat enim S. Auguſtinus duos ex ſuis domeſticis eò mittere; cùm alter alterum nefarii criminis accuſaret, ut beati Felicis interventu veritas patefieret.

Notum etiam eſt, ex remotis undique urbibus, frequenti cœtu, populos ad venerandum S. Januarii Martyris ſepulchrum Neapolim conveniſſe; & in honorem ejuſdem ſancti paſſim erectas eſſe Eccleſias: Ubi etiam beatiſſimi Martyris ſanguis in ampulla vitrea adhuc ſervatur, qui in conſpectu capitis illius poſitus, velut recens liqueſcere, & ebullire conſpicitur.

De peregrinationibus ad Baſilicas, Reliquias, & monumenta Confeſſorum.

B Scribit *in vita S. Nicolai* Metaphraſtes, ab oſtio Tanais inſtitutas fuiſſe peregrinationes Myram ad ſepulchrum S. Nicolai. Cujus Reliquiæ nunc requieſcunt Barii in Apulia; quæ translatio quotannis recolitur nono die Maii. Frequentiſſima eò jam olim peregrinatio inſtituta eſt, propter ingentia miracula, quæ in dies edebantur; quorum innumeram multitudinem omittimus, inquit *Joannes Archidiaconus in Hiſtoria translationis S. Nicolai*: Tam enim erat frequentiſſimus concurſus, & conventus languentium, & dæmoniacorum, & ex diverſis provinciis adventantium, ut non ſolùm nomina ſingulorum hominum, & morborum quoque nos ignorare fateamur, ſed etiam certum eorum inire numerum minimè valeamus. Pauca ergò de multis excipimus, ſtyloque noſtro ſervanda, & veneranda commendamus. Poſtquam ad beati Benedicti Eccleſiam, ut eſt à nobis ſupra dictum, ab Abbate Elia ſanctiſſimi Nicolai capſa eſt delata; die altero tantæ fama rei, & celſitudinis extra Barina mœnia mira ſe pernicitate effudit; primòque Barenſis territorii caſtella, & villas adiens,
C omnium aures nuntio lætiſſimo percuſſit, moxque catervatim concurrunt undique ſexus uterque, & ætas omnis. Quid dicam? Præ agminibus frequentiſſimis virorum, & mulierum, ſenum, & juvenum, diverſorumque languentium viæ ampliſſimæ, & ſemitæ longo telluris ſpacio pleniſſimæ videbantur, voceſque laudum altiſonæ hinc inde reſonabant. Quippe omnipotentem Dominum certatim collaudabant, benedicebant, & glorificabant, qui tanto theſauro ditare, tanto ſplendore illuſtrare, tanta conſolatione, & propitiatione viſitare dignatus eſt regionem hanc. Deinde fama eadem pennis mota leviſſimis, longius, atque longius tranſvolans, intra paucos dies, omnes Italiæ provincias annuntiatione mirabili concitavit. Itaque concurrebant de univerſis totius Heſperiæ Provinciis diverſæ Chriſticolarum multitudines, non tam pro novitate rei oppido venerabilis, & deſiderabilis, aut orationis gratia, quàm ob virtutes divinas, ſignaque miraculorum ſtupenda, & innumera, quæ quotidie fiebant.

Petrus Damianus ſerm. de S. Nicolao: In teſtimonium ſunt peregrinationes ad ſanctum illius corpus à finibus terræ
D ſuſceptæ, ut videantur, quæ per eum fiunt mirabilia: non ſolùm autem Chriſtianis, ſed & paganis in tantam reverentiam ſancti nominis advolavit auctoritas, ut certatim confluant ad laudandum, & glorificandum nomen ſanctum ejus.

Peregrinatio ad S. Martinum Turonos celeberrima fuit, ut ex ſcriptoribus rerum Francicarum, præſertim Gregorio Turonenſi liquet, qui de miraculis ad S. Martini ſepulchrum editis, quatuor libros edidit, ut omittam, quæ de eodem argumento *Hiſtoriæ de rebus Francorum, & libris de gloria Martyrum* paſſim plena manu inſpergit. Ad hujus divi Baſilicam Clotarius Imperator precandi gratia venit. Pipinus quoque infirmus eodem delatus eſt. Clodoveus in Alaricum Gotthorum Regem moturus, multis donariis miſſis ad Eccleſiam S. Martini, interceſſione ejus, victoriam obtinuit.

☞ *Vide Gregorium Turonenſem.*

Cum tempore irruptionis Barbaricæ corpus beati Martini Antiſiodorum perveniſſet, innumeræ mox virtutes, & miracula ibidem patrata ſunt: Cæci ſiquidem viſum, inquit Odo Cluniacenſis, claudi greſſum, febricitantes ſanitatem, aridi ſoſpitatem, leproſi mundationem, paralytici membrorum redintegrationem recipiunt. Fama verò, quæ clam nihil agere conſuevit; per univerſas regiones, ſanitatum gratiam divul- E gante, tanta illuc in dies infirmantium multitudo confluebat, ut ex numeri innumera æſtimatione, regio cuilibet exercitui aſſignata videretur. Et quia civitas tantæ inſufficiens multitudini univerſos capere non poterat, per circumjacentes vicos hoſpitandi gratia diffundebatur: omnibus autem pro voto, per merita beati Martini Antiſtitis, ſalus optata reddebatur.

Cùm Clothildis Regina audiſſet inter filios diſſenſionem jam ad arma progreſſam, filiorum condolens nequitiæ, inquit *Aimoinus*, ad ſepulchrum ſancti Martini properat, & lachrymarum effundens flumina, orationem fudit ad Dominum, &c. Ejuſdem ſancti Præſulis ſepulchrum orationis gratia adiit Fortunatus Venantius, ſede etiam ex Italia cujus civis erat, in Gallias translata, ut ſcribit *Paulus Diaconus*.

Circa annum Domini 1072. magno numero concurrerunt homines ad S. Sebaldum Norimbergam, & ad S. Hemeradum Heſegunum, *ut Schaffnaburgenſis* teſtatur, & ex eo Centuriatores.

Nec prætereunda videtur peregrinatio ad D. Ægidium in Narbonenſi provincia, quam obiit Boleslaus Polonorum Dux, expiandæ fraternæ cædis gratia, qui apud Ungaros F D. Stephani ſepulchrum, & Gneſnæ S. Adelberti reliquias inviſit, teſte *Cromero*. Et quia de S. Adeberto ſermo incidit, monere viſum eſt, etiam Ottonem III. ad reliquias illius in Poloniam peregrinatum eſſe, ut teſtatur *Dietmarus*, anno *999*. cujus hæc ſunt verba: Videns (Imperator) à longè urbem deſideratam, nudis pedibus ſuppliciter advenit, & ab Epiſcopo ejuſdem Ungero venerabiliter ſuſceptus in Eccleſiam introducitur, & ad Chriſti gratiam impetrandam, Martyris interceſſio profuſis lachrymis invitatur.

Duodecimo Maii celebratur feſtum Philippi Argyrionis, qui à Romano Pontifice in Siciliam miſſus, magnam illius partem ad Chriſtum convertit, cujus ſanctitas in liberandis energumenis maximè declaratur; ut dicitur *in Romano Martyrologio*. De cujus templo, hominumque ad illud concurſu hæc *Fazellus*: Eſt Argyræ ætate mea, & pluribus retro ſæculis divi Philippi templum, miraculorum frequentia celeberrimum, & confluxu hominum adeò notum, ut vel ipſi urbi ex eo D. Philippi nomen vulgò inoleverit. G Is, genere Conſtantinopolitanus, Chriſti fidem profeſſus, ob doctrinæ, morumque integritatatem à D. Petro Apoſtolorum Principe (cui erat diſcipulus) ad Chriſti Evangelium Siculis concionandum miſſus, magna Siciliæ parte Chriſti ſacris initiata, apud Agyrenæos tandem obiit: à quibus ei, ad IV. idus Maii, quo deceſſerat, feſtus dies anniverſarius inſtitutus eſt. Hoc recurrente, plura, ſed in arreptitios præcipuè, ejus nomine, fiunt miracula, &c. Eorum igitur multitudo, quæ in Sicilia eſt maxima, ad D. Philippi templum, aramque quotannis incolumitatis impetrandæ gratia deferuntur: unde, aut nunquam, aut quàm rariſſimè, niſi præſentiſſimo numinis remedio liberati diſcedunt. Quo fit, ut omnis propè Sicilia eo, tum ſpectandi, tum conciliandi ſibi numinis ſtudio, velut ad theatrum catervatim, eodem ſolemni tempore concurrat, &c.

De peregrinatione ad ſepulchrum D. Bennonis, qui Epiſcopus Miſnenſis fuit, & ex hac vita migravit Anno ſalutis MCVI. XVI. Kal. Julii, ſic canit Hieronymus Emſer, teſtis oculatus.

Ad cujus tumulum glomerantur pendula vota, H
Multus ut accepta contulit æger ope.
Cernitur hìc lacero confoſſus pectore ferro:
Hic alius fracto crure perire tumet.
Hic cecidit ſumma quondam reſupinus ab arce;
Ille fuit rapidas obrutus inter aquas.
Hic trahit in mediis poſitus ſuſpiria flammis:
Hic cinctus valido corripit hoſte fugam.
Hic queritur febres, alius fera tormina ventris:
Hic miſero nervos vellet abeſſe pede.
Ille elephantiaſim deplorat, hic enterocelas:
Aut hæmorrhoides, lithiaſimve dolet.
Denique quiſquis adeſt, placida redit inde ſalute,
Nec patitur caſſas Benno fuiſſe preces, &c.
Huc veniunt Thuri, Pruteni, Sarmata, Sclavus:
Huc vicinus agit ſæpe Bohemus iter.
Sæpe etiam admonitus media per ſomnia nocte,
Huc tulit Arctoo Cymber ab axe pedem.
Mille licèt veniant, referunt quoque mille ſalutem;
Arguit hoc ſanctum ſcilicet eſſe virum, &c.

De

De peregrinationibus ad monumenta SS. Virginum, & Viduarum.

A Agmen ducat S. Thecla; de qua *Martyrologium Romanum XXIII. Septembris*. Iconii in Lycaonia ſanctæ Theclæ Virginis, & Martyris, quæ à S. Paulo Apoſtolo ad fidem perducta, ſub Nerone Imp. in confeſſione Chriſti ignes, ac beſtias devicit, & poſt plurima ad doctrinam multorum ſuperata certamina, Seleuciam veniens, ibi requievit in pace: quam SS. Patres ſummis laudibus celebrarunt.

A Græcis, & Latinis Protomartyr appellatur, nimium, inter fœminas, cujus ſepulchrum erat Seleuciæ in Iſauria, ad quod frequentes concurrebant fideles. Quam peregrinationem obiit S. Gregorius Nazianzenus, ut conſtat ex poemate, quod de vita ſua ſcripſit. Item Marana, & Cyra apud Theodoretum in Hiſtoria religioſa. Cujus peregrinationis mentio fit in Synodo ſecunda Nicæna, & in Prato ſpirituali. Delituit aliquando S. Thecla intra petram ſibi cedentem, prout habetur *in actis S. Barbaræ apud Metaphraſtem*. Putatur hic ille locus, ait Baronius, quem prope Tripolim Palæſtinæ peregrinantes Hieroſolymam inviſunt, referuntque ſpecum illuſtrari: eaque non B tantum fidelibus, ſed munificentia Martyris, etiam infidelibus, apud quos ille locus religioſiſſimus habetur impartiri.

Fazellus de S. Agatha Virgine, & Martyre. Hujus numen tanquam Catanæ urbis tutelare maximo totius Siciliæ virorum mulierum conventu, Nonis Februarii quàm religioſiſſimè colitur.

Nec tacitè prætereunda eſt peregrinatio ad S. Catharinam in monte Sinai, hoc etiam ævo, multis in uſu: quam avorum, & proavorum memoria ſuſcepit, & peregit Joannes Comes à Solms, Bernardus Breidembachius, Philippus à Bickem, multique alii virtute, & nobilitate præſtantes viri; Sanctitatis autem B. Catharinæ, quodque revera exſtiterit virgo Chriſtiana hoc homine, graviſſimos habemus teſtes; ac in primis *Bedam*, re, cognomento & vetuſtate venerabilem: qui *in Martyrologio ſuo* hujus Virginis meminit; II. Uſuardum, æqualem Caroli Magni, qui hujus Virginis ſimiliter mentionem facit. III. Adonem Trevirenſem, *in ſuo Martyrologio*. IV. Rhabanum Maurum, qui D. Catharinæ res geſtas litteris mandavit, teſte Molano. V. Euthymium; qui *in ex-* C *planatione Pſalmi* 44. Catharinam nominat *ſapientiſſimam*. VI. Simeonem Metaphraſtem, apud quem extant Acta hujus Martyris. VII. Paulum Eremitam, de quo hæc in vita illius: Et aliorum quidem ſanctorum memoriæ hilaritatis anſam Paulo dabant: martyris verò Catharinæ non ſolùm voluptate ſanctum replebat, ſed propemodum exultatione, & tripudio. Etenim celebrabat illam non corporis tantùm ſenſu, ſed admiſta ſimul ſpirituali lætitia; aut potius præcipuum id erat, quod ſpiritui dabat. Ferianti igitur, & ſub dio epulanti cum fratribus, largus imber imminebat, monachoſque ſurgere parantes ipſe inhibuit, & pluvia curſum tanquam juſſa repreſſit, ne gutta quidem vel tenui lapſa, quoad ſublatæ ſunt menſæ. Idem verò ſurgendi initium fuit, & pluviæ cadendæ: mox enim magno impetu, & copia ferri, quaſi teſſera data cœpit. VIII. Menologium Græcorum, & Rituales eorundem libros, qui Virginis hujus laudes, & præconia accuratiſſimè perſequuntur. IX. Senſum & conſenſum Eccleſiæ tam Græcæ quàm Latinæ, quarum utraque vigeſimo quinto Novembris die, anniverſa- D riam memoriam hujus Martyris colit; illa *Catharinam*, hæc *Æcaterinam* nominans, ut *ex Menologio* liquet. Tametſi Menologium, quod Græcorum Horologio adjungi ſolet; ut & Typicum S. Sabæ, feſtum *Æcaterinæ* ad 24. Novembris referat. Monet tamen Typicum S. Sabæ ab aliis celebrari 25. die, ut habetur etiam in Menologio à Cardinale Sirleto in Latinam linguam converſo, & nuper in publicum edito.

RELIGIONIS CAUSA.

PEREGRINI QUOMODO EXCIPIENDI, UBI, ET DE OFFICIIS HUMANITATIS ERGA PEREGRINOS.

Ferunt recentiores nonnulli ſcriptores arrogantem, & faſtuoſum illum Diotrephen, de quo Joannes Apoſtolus *in tertia ſua Canonica Epiſtola*, in ea fuiſſe hæreſi, ut aſſereret, peregrinis non eſſe ullum humanitatis officium impendendum. Sed neque ex verbis S. Joannis, neque Bedæ interpretis inquit Alphonſus à Caſtro, conſtat Diotrephen tale aliquid ſenſiſſe, quale illi tribuit Bernardus de Lutzenburgo *in Catalogo Hæreticorum*. Conſtat quidem illum fuiſſe hæreticum, ſed illius hæreſis non indicatur. Nam propter hoc, quod beatus Joannes de illo dixit, neque ipſe ſuſcipit fratres, & eos, qui ſuſcipiunt, prohibet: ſuſpicari non licet illum ſenſiſſe, peregrinos omnes non eſſe ſuſcipiendos, ſed ſolos fideles Catholicos, quo- E niam hos appellat ibi fratres B. Joannes. Hæc Alphonſus. Quo verò obſequii, & amoris officio Deus voluerit nos proſequi peregrinos, diximus *ſupra hoc eodem loco, Tit. Quod circa hæc Scriptura præcipiat?*

Pellucidum veri amoris in peregrinos ſpeculum præbet nobis Abraham Patriarcha, *Geneſ.* 18. qui cùm vidiſſet tres viros, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, &c. & dixit: Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore, ponamque buccellam panis, & confortetur cor veſtrum, poſteà tranſibitis, &c. Ubi quot verba, tot habes humanitatis præclariſſima indicia, & argumenta: ex quibus lotio pedum apud Chriſtianos etiam permanſit. Hinc Apoſtolus 1. *Tim.* 5. notas viduæ in Diaconiſſam eligendæ enumerans, hanc etiam recenſet. Si hoſpitio recepit, ſi Sanctorum pedes lavit, de hoc facto Abraham eleganter S. Auguſtinus, *ſerm.* 70. *de temp.* Diſcite fratres à beato Abraham hoſpites libenter excipere, pedes eorum cum humilitate, & pietate lavare. Lavate, inquam F ſanctorum peregrinantium pedes, ne fortè in illis remaneat pulvis, quem ad judicium veſtrum poſſint de pedibus ſuis excutere, ſic enim in Evangelio dixit: Qui non ſuſceperit vos, exeuntes excutite pulverem de pedibus veſtris: Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die judicii, quam illi civitati. Hoc ergò prævidebat in ſpiritu Abraham, & ideò volebat prævenire, & lavare pedes, ne quid fortè pulveris reſideret, quod ad teſtimonium incredulitatis excuſſum poſſet in diem judicii reſervari. Proptereà ergò dicit ſapiens Abraham: Accipiam aquam, & laventur pedes veſtri. Diligenter hæc audite, fratres, qui hoſpitalitatem exercere non vultis; qui hoſpitem, velut hoſtem excipitis. Ecce beatus Abraham dum homines ferventer exciperet, ipſum Deum ſuſcipere hoſpitalitatis contemplatione promeruit. Hoc etiam in Evangelio Chriſtus confirmavit, dicens: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. Nolite ergò negligere peregrinos, ne fortè, quem non excepiſtis, ipſe ſit Chriſtus.

Idem S. Auguſtinus in illa verba Chriſti. Si ego lavi pedes veſtros Dominus, & magiſter, debetis & vos alter alterius lavare pedes. Didicimus fratres humilitatem ab excelſo: faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit excelſus. Ma- G gna eſt commendatio humilitatis, & faciunt ſibi hoc invicem fratres, etiam opere ipſo viſibili, cùm ſe invicem hoſpitio recipiunt. Eſt enim apud pleroſque conſuetudo hujus humilitatis uſque ad factum, quo cernatur expreſſa: unde & Apoſtolus, cùm viduam bene meritam commendaret; ſi hoſpitio, inquit, recepit, ſi Sanctorum pedes lavit. Et apud Sanctos, ubicumque hæc conſuetudo non eſt, quod manu non faciunt, corde faciunt: ſi in illorum numero ſunt, quibus dicitur in hymno beatorum trium puerorum: Benedicite ſancti, & humiles corde Domino; multò autem eſt melius, & ſine controverſia verius, ut etiam manibus fiat; nec dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus. Cùm enim ad pedes; Fratres, inclinatur corpus, etiam in corde ipſo, vel excitatur, vel ſi jam inerat, confirmatur ipſius humilitatis affectus.

Quam autem Chriſtiani primævi illius, & à Chriſti ætate propioris Eccleſiæ officioſi, & humani in peregrinos fuerint, diſcimus cùm aliunde, tum ex Chriſtianorum ca- H pitali hoſte Luciano, qui in Dialogo, quem inſcripſit; περὶ τῆς περεγρίνε τελευτῆς peregrinum, impoſtorem quendam, inducit; qui, rebus ſuis ad extrema redactis, nihil uſpiam quidquam ſpei, & opis ſibi ſupereſſe vidit; niſi in liberalitate, & benignitate Chriſtianorum adversùs peregrinos, & advenas. Quapropter ad illos ſeſe contulit, peregrini ſpecie, & habitu, quamvis animo vulpino ac ſubdolo; quem non modò benevolentiſſimè complexi ſunt, omnibuſque humanitatis officiis confoverunt, ſed & collata uberrima ſtipe locupletarunt. Quam prædam nactus, erupit; & à Chriſtiana lege deſciſcens, ad Ethniciſmum revertitur, finemque miſerrimum vitæ ſuæ impoſuit.

PEREGRINATIONES SIMPLICI HABITU, ET MENTE PURA, AC A PECCATO IMMUNI SUSCIPIENDÆ.

Anno Dom. 1094. celebris inſtituta eſt peregrinatio Hieroſolymam ſeptem millium virorum, & amplius, primoreſque horum duces fuiſſe Germanicos Antiſtites, Sigefridum Archiepiſcopum Moguntinum, Vvilhelmum Trajectenſem, Güntherum Bambergenſem, atque Othonem Ratiſponenſem Epiſcopos,

copos, eoſdemque profectos Autumnali tempore; ſed hoc A eorum imprudentiæ vitio datum, quod incircumſpectè nimis ornati barbaros ad prædam allicerent, adeò ut confligendum ſæpe cùm illis in Palæſtina fuerit, quæ certamina Lambertus exactè deſcribit, narratque eos in maxima adductos fuiſſe diſcrimina, & præter ſpem divino auxilio liberatos. *Vide Baronium loco citato. Ex Mariano, Scoto, Baron. tom.* 11. *an. Do.* 1064. 43.

Venerat Lauretum peregrinus quidam omnibus ſceleribus coopertus, & profligatę vitę apprimè tenax: Huic igitur ſanctiſſimæ cellæ limen intrare auſo, repentè in ipſo aditu umbra quædam horrenda ſpecie ſe obiecit, quæ projectæ audaciæ hominem fregit, ac repulit ingenti pavore perculſum. Ergo ſcelerum conſcientia ictus ad ſacerdotem acceſſit animum expiaturus. Cæterùm ad recolenda tot annis patrata facinora, multo erat opus tempore, magnoque ſenſu doloris: ipſe autem ad ſacram confeſſionem minimè meditatus, ac paratus acceſſerat. Proinde à Sacerdote dimittitur monitus, ut in ſacram ſacellam recipiat ſe, ibi Dei, Deiparæque ope enixiùs implorata, in anteactam vitam inquirat ſedulò, tum demum paratior redeat ad confitendum. Dimiſſus ille mandata feciſſet, ſed videlicet mala conſuetudo veram pœnitentiam moraba- B tur: & probri magis, quàm culpæ dolor anxium animum ſtimulabat. Eum itaque ſacrum Virginis cubiculum repetentem, eadem illa ſpecies oblata iterùm ingreſſum prohibuit. Tum verò ingens illi dolor inuſtus, ſe ut conſceleratum, contaminatumque, ab auguſtiſſima ſede, à conſpectu Deiparæ bis abactum eſſe. Extemplò flagitioſæ tabis, vitæque tædio captum haud vana pœnitentia excepit, & dolor offenſi Dei. Ergo conſcientia impenſiùs excuſſa, flens redit ad Sacerdotem: labes non confeſſione magis, quàm lacrymis eluit. Expiato tandem animo ad auguſtam Virginis Ædem verecundè, ac dubitanter accedit. Mirabile dictu, qui audenti clauſus fuerat, verecundanti aditus patuit. *Horat. Turſellio. Rom. hiſt. Lauret. lib.* 5. *cap. ult.*

IRRISORES PEREGRINATIONUM PUNITI.

Septem Peregrini de ſancto Dionyſio venientes, cùm non longè eſſent à monaſterio ſancti Fiacrii, dixerunt quatuor ex illis: Eamus ad ſanctum Fiacrium; reliqui verò tres; Nos viſcoſi non ſumus, non habemus neceſſe ire ad eum, ipſe non habet peregrinos, niſi ſcabioſos. Quatuor tamen ad ſanctum in- C cedentibus, tres prædicti eos irridentes ſæpius clamabant: Ite viſcoſi ad medicum viſcoſorum. Nec mora: cæci facti ſunt, & apertis oculis nihil videbant. Pœnitentes igitur clamabant poſt quatuor ſocios, qui ad ſanctum Dei properabant. At illi putantes eos ut prius irridere, ipſis non intenderunt. Tandem viſitato ſancto Fiacrio reverſi, prædictos tres ſocios ſuos invenerunt cæcos, errare per agros. Cognoſcentes verò culpam, eos ad ſanctum Fiacrium duxerunt, & cum ipſis Sancti miſericordiam implorantes obtinuerunt eis viſum reſtitui. *In vita ejus apud Sur. tom.* 4. *Aug.* 30.

☞ *Vide locum de S.* MARIA *Matre Dei.*

Perfectio.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA,

PERFECTIO Græcè τελειότης, vel τελείωσις, ſignificat rei alicujus conſummationem, ita ut ad illius eſſe nihil deſit. Unde idem eſt, quòd rei alicujus abſolutio, Hebraicè eſt Chelit à D Chul radice, unde chalat verbum, & nomen chalila, quod ſignificat id, in quo univerſa ſunt bona, & nihil deſideratur eorum, quæ ad naturam, aut perfectionem ejus pertinent.

Et quamvis nihil ab omni ſit parte beatum: & impoſſibile dixerit Crates, quemquam inveniri, qui nunquam ſit lapſus, & veluti in malo punico nonnunquam granum putreſcit: ſic & in homine evenire, eſt tamen quædam Perfectio quam Chriſtianam dicimus, ſive perfectionem hujus vitæ, quam ſectantur, qui piè in Chriſto volunt vivere, quomodo dixit S. Joannes, Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt. Sic etiam Apoſtolus Paulus dicit omnem Scripturam divinitùs inſpiratam, utilem ad docendum &c. ut perfectus ſit homo Dei ad omne bonum inſtructus. 2. *Tim.* 3.

USUS HUJUS NOMINIS VARIUS.

Divinæ litteræ perfectionis nomen variis virtutibus videntur attribuere, ac primo dilectioni Dei, ac proximi, maximè autem inimicorum. Nam Chriſtus Dominus, cùm docuiſſet diligendos eſſe inimicos, & pro iiſdem orandum mox ſubjecit; Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. *Matth.* 5.

2 Paupertati Evangelicæ, nam diviti juveni Chriſtus dixit. Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus. E *Matth.* 19.

3 Solidæ inſtitutioni in doctrina, & vita Chriſtiana. Nam Apoſtolus *ad Corinthios* 1. *cap.* 2. ait. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. *Et ad Hebræos cap.* 5. Perfectorum eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, ac mali.

4 Tribuunt conſenſioni in fide, nam idem Apoſt. 1. *Cor.* 1. ait. Obſecro, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia.

5 Martyrio, ad quod reſpexiſſe videtur S. Jacobus, cùm ait, Patientia autem opus perfectum habeat, ut ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes, *cap.* 1.

6 Linguæ plenè domitæ. Si quis enim in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. *Idem.*

7 Divinæ viſioni in altera vita. Nam S. Paulus 1. *Cor.* 13. ſic loquitur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt. *Et iterùm ad Philip.* 3. Non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim, ſequor autem ſi comprehendam. Fratres, ego me non arbitror com- F prehendiſſe.

Patres quoque veteres annotarunt non unam eſſe intelligentiam vocabulo perfectionis ſubjectam. *Clemens Alexandrinus lib.* 4. *Stromatum*. Invenio, inquit, perfectum multis modis accipi, prout is eſt, qui in unaquaque virtute ſe rectè gerit.

Perficitur itaque, & conſummatur aliquis, ut pius, ac religioſus, & ut toleratus, & ut continens, & ut operarius, & ut Martyr, & ut cognitione præditus. In omnibus autem ſimul perfectus neſcio an ullus ſit, ſi quis eſt adhuc homo, niſi ſolum is, qui propter nos induit hominem.

IN QUO CONSISTAT CHRISTIANA PERFECTIO.

Perfectio, de qua agimus, propriè conſiſtere videtur in conjunctione cum Deo, quanta in hac vita poteſt obtineri. Cùm enim quæque res tum perfectionem ſuam dicatur conſecuta, cùm ſuo fini copulatur: Finis autem hominis ſit Deus. Finis enim legis Chriſtus, ait Apoſtolus, tum demum homo dicendus eſt virtute perfectus, cùm perfectè Deo adhæſerit. Qui G enim adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. Unde *S. Auguſtinus lib.* 2. *de Chriſtiana doctrina cap.* 2. Tunc ait optimus eſt homo, cùm tota vita ſua pergit in immutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi.

PROPRIETATES.

Prima proprietas eſt, quòd ſit donum Dei. Non poteſt, *inquit S. Ambroſius lib.* 2. *de Pœnitentia, c.* 2. ſine favore Dei aliquis eſſe perfectus. Nec mirum, quia ſine charitate nemo poteſt eſſe perfectus.

De qua ita loquitur S. Paulus *ad Romanos cap.* 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Secunda proprietas eſt, quod ſemper augeri poſſit in hac vita. Ea enim hominis natura eſt, ut non repentè evadat ſummus in ſtudio virtutis, ſed primò ſit quaſi infans incipiendo, ſecundò adoleſcat proficiendo, tertiò fiat vir, hoc eſt, perveniat ad perfectionem.

Unde *Hieronymus* ſcribens ad Cyprian. *epiſt.* 139. Joan- H nes, inquit, Apoſtolus, ſecundùm merita filiorum ſuorum, profectuſque operum ſingulorum, ſcribit ad parvulos, ſcribit ad juvenes, ſcribit ad Patres.

Et S. Auguſtinus tract. 5. *in epiſtolam Joannis*. Numquid, mox, ait, ut naſcitur (charitas) perfecta eſt? ut perficiatur naſcitur: cùm fuerit nata, nutritur: cùm fuerit nutrita, roboratur: cùm fuerit roborata, perficitur: cùm ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Optabam diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

Tertia. Omnis perfectio in hac vita imperfecta eſt. Ita *S. Hieronymus lib.* 1. *adversùs Pelagianos*. Hæc, inquit, eſt hominis vera ſapientia, imperfectum ſe noſſe, atque ut ita loquar, cunctorum in carne juſtorum imperfecta perfectio eſt.

Quarta proprietas eſt, Diligere inimicos. Chriſtus enim cùm docuiſſet diligendos eos exemplo Patris cœleſtis pluentis ſuper juſtos, & injuſtos, mox ſubiecit. Eſtote ergo perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Et Apoſtolus ad Romanos indè extollit charitatem Chriſti, quòd pro inimicis mortuus ſit.

Quinta